

SUMMARIUM.

1. Interstitia quid sint. — 2. Interstitia cur constituta, et quare servanda sint. — 3. Interstitia etiam pro minoribus ordinibus sunt servanda. — 4. Quodnam intervallum, seu interstitium inter unum et alterum ex minoribus ordinibus intervenire debeat. — 5. Pro suscipiendis ordinibus sacris debet intercedere intervallum seu interstitium unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius. — 6. Hinc a receptione postremi gradus minorum ordinum non potest quis promoveri ad subdiaconatum, nisi elapso interstitiorum anno. — 7. Item non potest quis promoveri ad diaconatum nisi post annum a susceptione subdiaconatus. — 8. Item non potest quis promoveri ad presbyteratum nisi post annum a susceptione diaconatus. — 9. Anni cursus non est necesse quod sit naturalis et solaris, sed sufficit quod sit ecclesiasticus. — 10. Episcopus dispensare potest super huiusmodi interstitia cum suis subditis. — 11. Episcopus ordinans alienos subditos

(1. Interstitia nihil aliud sunt quam illud intervallum temporis quod ex Ecclesiae constitutione interjacere debet inter susceptionem unius et alterius ordinis. *Est in re communis.* (2. Talia interstitia seu intervalla temporum sunt ab Ecclesia constituta ut nota esse posset atque perspecta vocationis clericorum veritas, morum probitas, et capacitas, seu peritia pro cujuscunque ordinis exercitio, ut habetur ex concilio Tridentino sess. 23, c. 11, de Reformatione, et ex constitutione Innocentii XII incip. *Speculatores.* (3. Interstitia temporum etiam in minoribus ordinibus sunt servanda: cap. *In singulis* 2, dist. 73, et concil. Trident. loc. cit. (4. Quodnam autem intervallum inter unum et alterum ex minoribus ordinibus intervenire debeat non reperitur expresse statutum: unde variant doctores. Quidam enim dicunt sufficere intervallum illud quod datur de uno die festo ad alium proximum, cum singulis diebus festis conferri possint. Ita Sorbus, in Compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Ordo*, vers. *sic bene*; Campanil. in Diversorio Juris Canonici, rub. 6, c. 3, n. 3. Et verum judicat Barbosa de Offic. et potest. Episcop., part. II, allegat. 11, n. 18. Alii autem existimant debere esse intervallum de uno ex temporibus generalium ordinationum ad aliud. Ita Ugolinus de Potest. Episcop., c. 26, § 17, n. 4; Majol. de Irreg., lib. III, c. 24, n. 16, et tutius judicat Barbosa loc. cit., n. 18.

(5. Pro suscipiendis vero ordinibus sacris habetur expresse statutum quod intercedere debeat intervallum unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius: sic Concil. Trident. cit. sess. 23, c. 11, 13 et 14, de Reform. (6. Hinc a receptione postremi gradus minorum ordinum non potest quis promoveri ad subdiaconatum nisi elapso interstitiorum anno, ut expresse statuit Trident. loc. cit., c. 11, ibi: « Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat. » (7. Item non potest quis promoveri ad diaconatum nisi post annum a susceptione sub-

diaconatus, ut expresse statuit Trident. cit. sess. 23, cap. 13, ibi: « Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorum gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur. » (8. Item non potest quis promoveri ad presbyteratum nisi post annum a susceptione diaconatus, ut expresse statuit Tridentinum cit. sess. 23, cap. 14, ibi: « Et hi sint qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam, » etc. (9. Anni cursus qui inter unum et alterum ordinem debet intervenire non est necesse ut sit naturalis et solaris habens trecentos sexaginta quinque dies, sed sufficit quod sit ecclesiasticus, videlicet ab una Quadragesima ad aliam, et a Pentecoste et huiusmodi. Sic tenent, et a sacra congregat. fuisse decisum referunt Hieronymus Sorbo in Compendio privilegiorum Mendicant., verb. *Ordines Sacri*, vers. *circa id*; Barbosa de Offic. et potest. Episc., part. II, allegat. 18, n. 2, et super Concil. Tridentin., sess. 23, cap. 13, num. 5; Zerola in Praxi Episcop., part. I, verb. *Ordo*, vers. *ad quartum*; Lauretus de Franchis in Controversiis inter Episcopos et Regulares, num. 264 et 265; Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 11, n. 143, ubi recte addit quod neque annus ecclesiasticus adeo necessario requiritur, quin sufficere possit annus naturalis completus, cum conc. Trid., loc. cit., non plus requirat quam annum integrum, ut revera est annus naturalis et solaris.

(10. Episcopus dispensare potest super huiusmodi interstitiis cum suis subditis: *Communis*, et habetur aperte ex concil. Trident. loc. cit., ubi id relinquit iudicio episcopi, ibi: « Nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat. . . . Nisi aliud episcopo videatur. . . . Nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur. » (11. Episcopus autem ordinans alienos subditos cum litteris dimissoriis advenientes, non potest cum istis quoad interstitia dispensare, nisi hoc in dimissoriis expresse ei concedatur. Sic respon-

sum fuisse a sac. congreg. Episcop. episcopo de Alife die 9 Augusti 1593, referunt, et tenent Piasec. in Praxi nova Episcop., part. I, cap. 1, num. 11, pag. 29, ubi dicit ita communiter servari in praxi; Barbosa de Offic. et potest. Episcop., part. II, alleg. 18, n. 9, cum plurimis aliis ibi citatis; Reiffenstuel l. c., num. 153, et alii arg. Concil. Trid., l. cit., ubi vult servari interstitia in collatione ordinum: « Nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae iudicio episcopi aliud exposcat, vel, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur. » Cognoscere autem, et iudicare de necessitate aut utilitate suae Ecclesiae spectat ad proprium dioecesanum episcopum, et non ad episcopum ordinatorem; cum hic, velut extraneus, neque eam dignoscere nec de ea iudicare. Eo vel maxime quod Concil., ead. sess. 23, cap. 16, habet expresse, ut sequitur: « Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui episcopi (*ponderaly* sui Episcopi) non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis. »

(12. Facultas praedicta dispensandi in interstitiis extenditur etiam ad vicarium generalem episcopi, et sede vacante transit ad capitulum seu vicarium capitularem. Sic quoad utrumque declaravit sac. congregat. Concil., ut referunt Lauretus de Franchis in controversiis inter episcopos et regulares, num. 256; Reiffenstuel loc. c., n. 153, et tenent Marchinus, Quaranta, Armendariz, Piasec., et alii plurimi cum Barbosa in cit. alleg. 18, n. 6, et super Trident. sess. 23, cap. 13, n. 7. (13. Episcopus tacite dispensare videtur in interstitiis, si assumat aliquem scienter intra anni curriculum ad ordines: Majol. de Irregul. lib. III, cap. 24, n. 14; Carolus de Grassis de effectibus Cleric., in praefat. n. 342; Lauretus de Franchis loc. cit., n. 260; Reiffenstuel. loc. cit., 156; Barbosa cit. alleg. 18, n. 7 et 8, et super Trid., loc. cit., num. 9, cum pluribus aliis ibi citatis.

(14. An autem dispensare in interstitiis respectu regularium spectet ad episcopos vel ad praelatos regulares, variant doctores. Plurimi enim, ut Hieronymus Sorbo, Confectius, Molfesius, Bonacina, Piasec., Riccius, Villalobos, Rodericus, Miranda, Homobonus, Portel, Marchinus, Ugolinus, Henriquez, Lezana, Genuensis, Menochius, et alii apud Barbosam cit. alleg. 18, num. 10, et super Trident., cit. cap. 13, n. 8, tenent spectare ad episcopum ordinantem, et Parasellus in suo libro Privilegiorum, sol. 225. Lauretus de Franchis l. c. n. 253; Barbosa l. cit. n. 10, et alii auctores apud Aversam referunt sac. Congregat. censuisse expresse, ut infra, nempe: « Superiores regulares non posse dispensare super interstitiis regularium ordinandorum, sed id pertinere ad episcopum ordinantem, qui tamen, quoad causam dispensandi, iudicium suum formare debet ex attestatione superiorum regularium. » Multi vero, ut Suarez, Hurtad., et alii, apud La Croix l. I, part. II, n. 2300, et alii apud alios tenent posse superiores regulares dispensare cum suis subditis regularibus in interstitiis;

tamen, ut recte dicit La Croix l. c., id tantum intelligitur ex privilegio quod creduntur communiter habere. (15. Unde ad conciliandos doctores et evitandas confusiones, dicendum est primam opinionem veram esse de illis regularibus qui post concilium Tridentinum, neque per specialem concessionem, neque per communicationem, habent apostolicum privilegium suscipiendi sacros ordines *extra tempora* tribus diebus Dominicis, aut festis continuis, vel interpolatis, sicque non servatis interstitiis; secundam vero opinionem veram esse de illis regularibus qui post Tridentinum, sive per specialem concessionem, sive per concessam communicationem, habent supradictum apostolicum privilegium. Nam quoad hos jam ipsemet Summus Pontifex dispensavit in interstitiis, sicque non indigent ulteriori dispensatione episcopi: imo neque proprii praelati. Sic expresse Reiffenstuel l. c., n. 157; La Croix l. c., ubi, ut supra fuit notatum, dicit quod id tantum intelligitur ex privilegio quod creduntur communiter habere; Rosign. de Ordinibus Ecclesiasticis, part. I, q. 2, art. 9, n. 9; et favet Barbosa cit. alleg. 18, num. 11, ubi sic praecise dicit: « Est tamen hic valde observandum regulares ex privilegio concessa a Gregorio XIII Societati Jesu, et ex alio concessa a Clemente VIII die 23 Novemb. 1596, congregationi S. Joannis Evangelistae in Portugallia, quod refert Portell. in dub. Reg., verb. *Ordines Sacri*, n. 4, posse ordinari non servatis interstitiis, etiam ad ordinem presbyteratus, etiam absque praevia functione praecedentis ordinis; imo etiam per extra tempora, quod privilegium communicatur aliis regularium ordinibus, non obstante prohibitione communicationis per eundem Gregorium XIII. Ita Fr. Emmanuel qq. Reg., t. I, q. 23, art. 5; Hieronym. Roderic. in comp., qq. Reg., resol. 106, n. 20; Diana Resol. moral. tom. III, tract. 2, de dub. Reg., res. 112; Marchin, tr. 1, de Sac. Ord. in Comuni, part. VII, cap. 2, n. 4. Quidquid dicant Suarez et Vasquez citati supra, all. 17, n. 7. »

Hactenus Barbosa.

(16. Et quod tale privilegium concessum Societati Jesu a Gregorio XIII, constituit. incip. *Pium et utile*, scilicet quod etiam extra tempora a jure statuta, tribus dominicis aut aliis festis diebus, etiam continuis, possint a quocunque catholico antistite communionem Sedis Apostolicae habente ad sacros etiam presbyteratus, ordines promoveri, communicetur illis regularibus qui ipsius Societatis privilegia per posteriores concessionem apostolicas expresse communicant, non obstante prohibitione Gregorii XIII de tali communicatione, ultra supradictos et alios late probant Reiffenstuel lib. I Decretal., tit. 11, n. 51, et Rosignol. loc. cit., art. 8, num. 2, et sequent. Et ratio est quia, licet Gregorius XIII, in dicta constitutione, § 4, expresse prohibuerit tale privilegium communicari aliis etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate Jesu expresse communicant, nihilominus, cum par in partem non habeat imperium, c. *Innotuit* 20,

de election., per dictam clausulam ipse non potuit ligare manus suorum successorum, quin eandem gratiam aliis quibusdam ordinibus concederent seu communicarent, prout de facto Clemens VIII, die 23 Novemb. 1596, concessit congregationi S. Joannis Evangelistae in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora et per quemcunque episcopum communionem Ecclesiae catholicae habentem, tribus Dominicis vel tribus festivis diebus continuis, vel interpolatis etiam non servatis interstitiis. Quod privilegium sese vidisse testatur Portell. in dub. Reg., verb. *Ordines Sacri*, num. 4. Et idem Clem. VIII, constit. incip. *Ratio Pastoralis*, concessit et communicavit Fratribus Minoribus omnia privilegia quomodocunque concessa et concedenda omnibus aliis ordinibus tam mendicantibus quam non mendicantibus, quod et eis concessit novissime Benedictus XIII constitut. incip. *Summe decet*, etiam expressis privilegiis Societatis Jesu, quod et concessit expresse etiam suo praeclearissimo ordini Praedicatorum constitut. incip. *Pretiosus*; quod et fecit etiam variis aliis ordinibus. Et Rosignolus loc. cit., art. 8, n. 4, testatur fuisse per alios Pontifices post Gregorium XIII communicata suae congregationi omnia privilegia Societatis Jesu, et etiam dato quod alii regulares non communicarent in tali privilegio ratione concessionis factae a Gregorio XIII Societati Jesu, gauderent tali privilegio ratione concessionis factae a Clemente VIII, supradictae congregationi S. Joannis Evangelistae in Portugallia, quotquot participant privilegia dictae congregationis.

(17. Ad dispensandum in interstitiis ordinum minorum sufficit quaecunque causa: *Communis*, cum Barbosa supra Concil. Trident. sess. 23, cap. 11, n. 5, et cit. alleg. 18, n. 5; Reiffenst. loc. cit., n. 148, arg. Concil. Trident. cit., sess. 23, cap. 13, ubi videtur requiri solum prudens arbitrium episcopi, ibi: *Nisi aliud episcopo expedire magis videatur*. (18. Unde consuetudine plurimis in locis receptum est ut eodem die et sub eadem ordinatione quatuor ordines minores simul conferantur, quam consuetudinem valere declaravit sacra congregatio Concilii, ut refert et tenet Fagnanus lib. 1, Decretal. in cap. *De eo* 3, de tempor. Ordin., num. 41 et 42. Ad dispensandum in interstitio inter subdiaconatum et diaconatum requiritur et sufficit minor causa quam in interstitio inter quatuor ordines minores et subdiaconatum. Major autem causa requiritur ad dispensandum in interstitio inter diaconatum et presbyteratum: *Communis*, arg. cit. Concil. Trident. quod pro dispensando in interstitio inter subdiaconatum et diaconatum requirit solum prudens episcopi arbitrium, ut patet cit. sess. 23, c. 13, ibi: *Nisi aliud episcopo videatur*. Pro dispensando autem in interstitio inter quatuor ordines minores et subdiacona-

tum requirit determinate saltem disjunctive causam necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae, ut patet ib. c. 11, ibi: *Nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat*. Pro dispensando vero in interstitio inter diaconatum et presbyteratum requirit determinate nedum disjunctive, sed conjunctive, una simul utilitatem ac necessitatem episcopi iudicio discernendam, ut patet ib. c. 14, ibi: *Nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur*.

(19. Quamvis tam ordinatus quam ordinans, non servatis interstitiis sine dispensatione, nullam canonicam poenam incurrant, ut sentiunt communiter doctores cum Barbosa cit. alleg. 18, n. 14, et super Trid. cit., sess. 23, cap. 13, num. 10 et 11, et Rosignol. loc. cit., num. 14, ex quo in jure canonico nulla expresse reperitur poena imposita adversus ipsos, tamen uterque graviter peccat, ex eo quod uterque sit transgressor sacrorum canonum in materia gravi, cujusmodi est illa ordinum; et frustra insudassent tot concilia et Summi Pontifices unanimes in prohibenda gravibus verbis ordinatione non servatis interstitiis, si levibus de causis et tantum sub levi posset transgredi. Neque ex eo quod nulla imponatur poena potest dici quod nulla vel saltem non gravis culpa in ejus transgressione committatur; quandoquidem plura sub gravi prohibentur, quae tamen alicui poenae non subduntur, nisi aeternae, quando talis transgressio non remittitur. Sic tenent Navarrus consil. 4 et 6, de tempor. Ordin.; Julius Caesar Madius de Sacris Ordin., cap. 9, num. 11; Suarez de Censuris Disp. 31, sect. 11, num. 43; Barbosa cit. alleg. 18, num. 14, cum multis ibi citatis; Rosignol. loc. cit., n. 14, et alii, ipso teste, magis communiter.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. De veteri et nova Ecclesiae disciplina circa interstitia, vide Morin. de Sac. Ord. part. III, cap. 3, et plur. sequent.; Van-Espen. Jur. Eccles. univ., part. I, tit. 1, cap. num. 4, et fusius part. II, tit. 9, cap. 5, per tot.

(21. Hic vero non est omittendum quod ex constitutione Benedicti XIV cui initium est *Impositi*, privilegium suscipiendi ordines a quocunque antistite extra tempora, de quo disserit Auctor n. 16, illis solummodo regularibus suffragatur quibus post concilium Tridentinum nominatim, atque recta, nequaquam vero per communicationem concessum sit; (22. et privilegium hoc non censetur concessum, nisi vel post ipsius concilii Tridentini confirmationem fuerit reipsa concessum, vel quatenus ante concessum, et postea confirmatum asseratur, hujusmodi confirmatio in forma specifica cum litterali veteris indulti insertionem, ejusque expressa innovacione facta dignoscatur.

INTRUSUS IN BENEFICIUM.

Vide verb. BENEFICIA, art. 7, a n. 19 ad 27, et art. 10, a n. 116.

SUMMARIUM.

1. Invidia quid sit? — 2. Invidia est genuina proles superbiae. — 3. Invidia ex genere suo est peccatum mortale contrarium charitati. — 4. Potest autem esse peccatum veniale, vel ex defectu consensus, aut advertentiae sufficientis, vel ex parvitate materiae. — 5. Unde peccati invidiae gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis, vel spiritualis, quod invidetur, et sic omnium gravissimum est

(1. Invidia est inordinata tristitia de bono proximi, quatenus est propriae gloriae, vel excellentiae diminutivum. *Est in re communis*. (2. Unde, ut vides, invidia est genuina proles superbiae, cujus inordinatio consistit in hoc quod quis ita inordinate amet vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris, vel fictis, ut nolit talia vel similia bona inesse proximo, et proinde, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur, ac veluti tangitur amarulento affectu. Hinc de invidio S. Augustinus lib. XI, de Genesi ad litt., cap. 14, sic praclare scripsit: « Aman- do quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequantur, vel inferioribus, ne sibi coaequantur, vel superioribus, quod eis non coaequantur. »

(3. Invidia ex genere suo est peccatum mortale contrarium charitati, quia charitas gaudet de bono proximi; invidia vero tristatur de bono proximi. Peccatum autem charitati oppositum esse ex genere suo mortale docet S. Thomas 2-2, quaest. 36, art. 3, et alii passim. (4. Dicitur autem notanter *ex genere suo*, quia potest esse veniale, vel defectu consensus aut advertentiae sufficientis, vel ex parvitate materiae, ut contingere solet quandoque in pueris, qui de parvis et levibus aliorum puerorum bonis tristitiam capere solent.

(5. Unde peccati invidiae gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis vel spiritualis quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidia fraternae charitatis, qua quis invidet proximo bona spiritualia ac dona Spiritus Sancti, ipsamque charitatem, et gratiam Dei, virtutem, et sanctitatem, quia nimirum omnia illa propriam suam excellentiam minuere, sui vilipensionem causare, aut certe vilam et actus suos redarguere et condemnare videt et aestimat. Unde odium, detractiones, temeraria iudicia, persecutiones justorum oriuntur; et ideo haec invidia dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia qui sic invidet etiam Spiritui Sancto invidet, qui in donis suis et operibus glorificatur. Sic talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo I Joann. III: *Haec est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justae. Simili invidia tabidi clamant impii, Sapient. I: Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris; gravis est nobis adversum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.*

(6. Invidia jure optimo numeratur inter vitia capitalia, quia ex ipsa tanquam ex ca-

pitia multa alia peccata originem ducunt, ut patet ex quinque filiabus quas ei assignat S. Gregorius lib. XXXI Moral., cap. 17: Prima scilicet *odium*, quo quis mala vult illi cui bona invidet; secunda *surratio*, qua apud alios invisum reddere molitur cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere; tertia *denigratio*, qua quis denigrat bonam famam quam proximo invidet; quarta *exultatio* in adversis proximi; quinta *afflictio* in prosperis proximi. (7. Et haec est poena continua invidi, qua suo livore tabescit, ac velut serpentina morsicatione cor exedit, juxta psalm. CXI: *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet; desiderium peccatorum peribit*. Unde egregie S. Bonaventura in Dieta salutis, tit. 1, cap. 4, de invidio sic ait: « De bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, et ipse amittere se putat quod alii lucrantur; et sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita invidio omnia cooperantur in malum. » Et S. Isidorus lib. II, Synonym. cap. 8, sic optime concludit: « Invidia sibi primum nocet, primum se mordet, primum auctorem suum rodit. . . . sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quaedam pestis depascit. »

(8. Tres aliae dantur tristitiae affectiones, quae cum invidia similitudinem quamdam praese ferunt, nempe *indignatio*, *emulatio*, et *timor*, de quibus optime S. Thomas, 2-2, q. 36, art. 2, ex Aristotele 2, Rhetor., c. 9, et 10; (9. *Indignatio*, seu *nemesis* est affectio qua quis tristatur quod bona temporalia, v. g., divitiae, dignitates, officia, beneficia, et hujusmodi obveniant impiis in via sua. Haec affectio et tristitia est peccaminosa et mala, si tendat in talia bona quatenus absolute sunt proximi, quia ipsum proximum ex charitate debemus amare, et de ejus bonis potius gaudere quam tristari; et a fortiori est mala si tendat in talia bona quatenus ex justa Dei dispositione ob certos et semper bonos fines, etiam indignis proveniunt; sic etiam sapit blasphemiam, et est contra voluntatem Dei, cui nostra voluntas in volito formali cognito nunquam repugnare, sed semper conformari debet. Unde contra hanc tristitiam David ait Psal. XXXVI: *Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias*. Bona autem et licita est haec tristitia et affectio, si tendat in talia bona quatenus humana voluntate ac potestate contra justitiam indignis obveniunt, aut prout eis indigni ad peccandum abutuntur. *Communis*.

(10. *Æmulatio* seu zelus est affectio qua quis tristatur de bono alterius, non quia ipsius est, sed quia simili bono ipse caret. Hæc affectio et tristitia est bona et laudabilis, sive versetur circa bona animi, v. g., merita, bona opera, virtutes, et scientias, cum talem æmulationem præcipiat Apostolus I ad Corinth. xii, dicens: *Æmulamini charismata meliora*; et S. Hieron. epist. ad Letam, de ejus filia sic scribit: « Habeat socias cum quibus discat, quibus invidet, quarum laudibus mordeatur; » sive versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia (96): sic enim opifex videns alios suo opificio familiam suam commode alere, merito æmulatur, et dolet se non posse suo opificio ita commode alere suam; sic mercator licite quidem tristatur, quod ipse non vendat tantum quantum alter, seu ad se non accedant tot emptores quot ad alterum, quia ipse non tristatur de alterius bono, sed de suo proprio damno, seu cessatione lucri, quod alioquin juste habere posset. Illicite tamen saltem venialiter tristaretur, si doleat quod plures emptores concurrerent ad alterum, quatenus ille concursus alteri bonus est. Sic communis doctorum.

(11. Timor est affectio qua quis tristatur de bono alicujus in quantum prudenter timet ne ille ex tali bono ansam capiat nocendi sibi, aliisque innexiis, aut reipublicæ,

IRA.

SUMMARIUM.

1. Ira quid sit. — 2. Ira dicitur appetitus inordinatus vindictæ, vel quasi vindictæ, quia si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum — 3. Dicitur vel quasi vindictæ, quia, dum homo irascitur in res inanimatas, non est propria vindicta, et tamen est proprie ira. — 4. Ira potest esse appetitus inordinatus, seu peccatum dupliciter, uno modo ex parte objecti appetibilis, seu vindictæ; et alio modo ex parte ipsius motus iræ, seu moti irascendi. — 5. Ira inordinata primo modo est peccatum ex genere suo mortale. — 6. Potest tamen esse peccatum so-

(1. Ira prout est unum ex peccatis capitalibus, est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. *Est in re communis.* (2. Dicitur primo *inordinatus appetitus vindictæ*, quia si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum. Imo ira, si præscriptum rationis modum non excedat, nedum non est mala, sed est bona, et meritoria; quinimo, et ejus absentia potest aliquando esse peccaminosa. Unde peccant quandoque superiores et quandoque parentes defectu iræ in sub-

(96) A ceteris assertionem qua a tristitia bonam esse et laudabilem si versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia, difficultatem aliquam pati existimant docti censes; et quidem jure meritoque. Nam dum tristitia affectus ex libera animi determinatione pendet, ut et laudabilis sit, bonum et laudabile finem habet oportet, a quo hominem ad virtutem incitare et perficere debet; boni enim et laudabiles affectus virtutem promovent et fovent, ac homines meliores faciunt. At dum tristitia in homine sit ob temporarium bonum alterius hominis, ubi laudabilis finis est? In eo enim actu, qui ad Deum actu aut virtute non referatur, laudabilis finis desideratur: in eo vero qui ob temporarium proximi

seu Ecclesiæ. Et hæc affectio et tristitia ex se bona est et licita, ut de se patet et clare demonstrat S. Gregorius lib. xii Moral., cap. 6, his verbis: « Evenire plerumque solet ut, non omnia charitate, et inimici nos ruina lætificet, et rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. » Illicite autem est talis affectio et tristitia, si temere ac imprudenter sinistram talem suspicionem aut judicium de proximo quis concipiat, seu si quis doleat et tristetur de bono alterius, v. g., de officio alicui collato, in quantum prævidet ipsum esse tali officio recte usurum, et sibi aliisque male agentibus debitas pœnas esse inflicturum. *Communissima.*

(12. Ex omnibus supradictis colliges unum solum esse proprie et rigorose invidum qui dolet et tristatur quod alter officium, dignitatem, beneficium, hæreditatem, aliudve hujusmodi bonum temporale, et a fortiori alia bona spiritualia, ut spiritualia dona Spiritus Sancti, et hujusmodi, obtinuerit, in quantum ratione ipsorum evenit quod ille apud omnes præ se excellat, et major seu melior se ab omnibus habeatur. Invidus enim dicitur quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. *Baldel. d. 29, l. 3, et alii passim.*

lum veniale ob imperfectionem actus. — 7. Ira inordinata secundo modo est ordinarie solum peccatum veniale. — 8. Potest tamen per accidens aliquando esse peccatum mortale. — 9. Iræ filia sunt sex nempe indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. — 10. Indignatio quid sit, et quale peccatum. — 11. Tumor mentis quid sit, et quale peccatum. — 12. Clamor quid sit, et quale peccatum. — 13. Contumelia quid sit, et quale peccatum. — 14. Rixa quid importet, et quale peccatum sit. — 15. Blasphemia quando fiat, et quale peccatum sit.

ditos, seu filios, sicut peccavit Heli I Reg. ii, fuitque ideo justa morte punitus, quod filiis discipulis eorumque vitiis non fuerit iratus. Hinc Eccl. vii, legitur: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis*; et Psal. iv, dicitur: *Irascimini, et nolite peccare*. Et de facto quod ira ordinata non sit peccatum, manifeste patet ex quo ipsemet Christus, a quo longe erat omne peccatum, circumspexit *cum ira*, ut dicitur Marc. iii. (3. Dicitur secundo, *vel quasi*

bonum tristetur, tristitiæ finis non est Deus, hoc est deliberatus ille tristitiæ actus non refertur in Deum, nec aciu, nec virtute, nec implicite, ut consideranti patet. Cum ergo illius tristitiæ finis bonum sit temporarium quod alter homo possideat quodque sibi cupiat is qui tristetur, manifestum est, aut ex superbia, aut ex avaritiæ fonte, aut ex prava invidia affectum illum originem trahere; quia tristatur tum homo de alterius bono, ex eo vel quod majorem alius gloriam sibi cupiat, vel cupiat quod ditiores alii se esse optet, vel denique quod ipsi displiceat inesse in proximo bonum quo ipse caret. Rursus: quod charitati obest, et præcepto illi adversatur quo proximum diligere debemus sicut nosmetipsos, non bonum et laudabile,

vindictæ, quia dum homo irascitur in res inanimatas, ut dum scriptor ex cholera comminuit calamum male scribentem, pictor penicillum male pingentem, artifex frangit aut projicit instrumentum non ita idoneum ad suum intentum, et hujusmodi, non est proprie vindicta, et tamen est proprie ira, quamvis ordinarie venialis, nisi ab extrinseco fiat mortalis.

(4. Ira potest esse *appetitus inordinatus*, seu peccatum dupliciter. Uno modo ex parte objecti appetibilis, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justo majorem; alio ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius excandescas, vel exterius per signa nimis patefacias: *Communis* cum S. Thoma infra citando. (5. Ira inordinata primo modo, seu excessiva quoad inordinatum appetitum vindictæ inferenda est peccatum ex genere suo mortale: *Communis* cum S. Thoma, 2-2, q. 158, art. 2, in corpore, ubi sic præcise habet: « Motus iræ potest esse inordinatus, et peccatum dupliciter, uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis appetit injustam vindictam, et sic genere suo ira est peccatum mortale, quia contrarium charitati et justitiæ. » Ubi, ut vides, tota ratio est quia charitati et justitiæ contrariatur. Charitati quidem, cum optemus proximo malum quod nobis non optaremus aeri, justitiæ vero, quia, sicuti ad justitiam commutativam requiritur æqualitas inter datum et acceptum, ita ad justitiam vindicativam æqualitas inter pœnam et culpam. (6. Dicitur notanter *ex genere suo mortale*, quia potest esse peccatum veniale ob imperfectionem actus, quæ imperfectio spectatur, vel ex parte appetentis, seu voluntarii, ut cum motus iræ prævenit judicium perfectum rationis, vel ex parte objecti appetibilis, ut cum levis est vindictæ optata excessus. *Communis* cum S. Thoma loc. cit., ubi sic præcise subjungit: « Potest tamen contingere quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. »

(7. Ira inordinata secundo modo, seu excessiva ex parte modi irascendi est ordinarie peccatum veniale tantum, quia homo

sed malum et vitiosum est. At tristitia illa qua tristatur homo ob temporarium bonum alterius hominis, charitati obest, et præcepto illi contraria est quo debemus proximum sicut nosmetipsos diligere. Nam, qui ita proximum diligit, de illius bono non tristatur, sed gaudet. Dicit vero bonam ac laudabilem esse tristitiam illam, quia ad scientiam, ad virtutem, et ad aliud bonum temporarium comparandum hominem excitat. Sed si charitati adversatur, si superbiam et alia quæ diximus vitia fovet, qua ratione bona et laudabilis esse poterit? Nunquid quia terrenos fovet et affectus? At hos compescere, ac rationi subjicere, et in honestum finem dirigere, Chri-

per solum emotionis excessum, nec intendit nocere, nec nocet, nisi sibi: *Communis* cum S. Th. loc. cit., ubi sic sequitur: « Alio modo potest esse motus iræ inordinatus quantum ad modum irascendi, utpote, si nimis ardentius irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; et sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis. » (8. Dicitur notanter *ordinarie peccatum veniale tantum*, quia potest contingere quod per accidens ex nimia vehementia iræ evadat peccatum mortale ratione affectus adjuncti, quo quis paratus existat aliquid facere contra dilectionem Dei et proximi, quod sit peccatum mortale. *Communis* cum S. Th. loc. cit., ubi sic concludit: « Potest tamen contingere quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei et proximi; » et Sylvius, 2-2, quæst. 158, art. 3, conclus. 3, sic dixit: « Potest tamen esse mortale, si vehementia sit tanta, ut vel scandalum magnum infirmis præbeat, vel irascentis valetudini multum noceat, vel alioquin destruat charitatem, sive in opere externo, sive tantum in animo. »

(9. Iræ filia communiter a doctoribus cum S. Gregorio lib. xxxi Moral., cap. 17, assignantur sex, nempe indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, rixa, blasphemia. (10. *Indignatio*, seu aversio est inordinatus affectus in proximum, ex eo quod quis reputet se, aut suos indigne, seu injuriose tractari: talis indignatio est ordinarie peccatum veniale, quamvis possit esse mortale, si crescat usque ad deliberatum odium vel gravem personæ contemptum. (11. *Tumor mentis* est quo quis morose excogitat diversas vias vindictæ, iisque cogitationibus animum tumefacit et inflat: talis tumor mentis est peccatum mortale vel veniale, juxta rationem vindictæ cogitæ gravis vel levis. (12. *Clamor* indignationis index est, cum iratus vocem extollit multa inordinate et confuse effundens: talis clamor est ordinarie peccatum veniale, nisi addatur aliud, verb. gr., blasphemia, contumelia, et hujusmodi. (13. *Contumelia*, interni contemptus index, est dictum vel factum injuriosum quo quis proximo præsentem palam aliquod malum objicit intentione illum inhonorandi: talis contumelia est ex genere suo peccatum mortale, nisi levitas materiæ aut imperfectio actus excuset. (14. *Rixa*, per quam, inquit D. Th. loc. cit., *intelliguntur omnia nocumenta quæ facta proximis inferuntur ex ira*, adeoque pugna, duellum, seditio, vultus, cædes, et hujus-

si theologia docet, non vero æmulatione vivere.

Multo majorem vero difficultatem patitur quod circa ejusdem numeri finem affirmat, dum ait *illicite tamen saltem venialiter tristaretur mercator, si doleat*, etc. Nam dum mercator tristatur ob emptorum concursum ad alterum, quatenus huic ejusmodi concursus bonus esset, gravissime contra charitatem peccat, si consensus et debita advertentia adsit, quemadmodum auctor num. 5 et sequentibus probat; charitas enim gaudium excitat ob bonum proximi sicuti ob bonum nostrum. Mercator vero ille tristitiam gaudio oppositam in se excitaret atque foveret. Grave ergo invidiæ peccatum committeret.